



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

171. Miser in se revertitur, agit pœnitentiam, & à patre denuo recipitur.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

138 PARABOLÆ
manducabant: & nemo illi dabat. *Luc. 15.*
Vers. 14. 15. 16.

MEDITATIO CLXXI.

Miser in se revertitur, agit poenitentiam, & à patre denuo recipitur.

I. **I**N se autem reversus, dixit: Quanti mercenarij patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenarijs tuis. *Luc. 15. & 17. 18. 19.*

II. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cælum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. *Luc. 15. Vers. 20. & 21.*

III. Dixit autem pater ad servos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus.

mus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est. Et cœperunt epulari. *Luc. 15. v. 22. 23. 24.*

MEDITATIO CLXXII.

Filium natu majorem indignè ferentem pater placat.

I. ERat autem filius ejus senior in agro, & cum veniret & appropinquaret domui, audivit symphoniam & chorum: & vocavit unum de servis, & interrogavit, quid hæc essent. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. *Luc. 15. v. 25. 26. 27.*

II. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hoedum, ut cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. *Luc. 15. v. 28. 29. 30.*

III. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Epulari au-